





3
69. 8-
16 27 4.
LXX

ASSERTIONES
JURIDICÆ

De
INIVRIIS, ET
ACTIONIBUS IN-
DE PROMANANTIBVS,

Quas,
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi viri,

DN. SIGISMUNDI Glach/

I. V. D. ET IN CELEBERRIMA ARGENTO-
RATENSIVM UNIVERSITATE PROFESSORIS OR-
dinarii, & Facultatis Juridicæ p. t. Decani spectabilis,
præceptoris, & fautoris sui æternùm
colendi,

Publicè discutiendas proponit, die
Mensis Januarij

24.

In Auditorio Jctorum

SALOMON. HVBNER CREIBITZIA
Bohemus.



ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVII.



PERILLVSTRI ET GENERO-
SISSIMO DOMINO,
DOMINO

WILHELMO,
L. BARONI DE Rynitz ET Let-
tau / DN. in Zöplitz / Newschloß / Sâ-
horsan / Remnitz / Bensen / Hansßbach /
Rumburg ET Zholnstein / S. CÆS.
MAI. CONSILIARIO, ET SVPRE-
MO IN AVLA REGIA BOHEMICA REI
VENATORIÆ PRÆFECTO, &c.

Dn. suo clementi.

*Hasce studiorum juridicorum primitias, in
sui suorumque commendationem,*

Offert & consecrat

G. E. C.

Humilis & ad obsequia promptissimus

Salomon Hübner
A. & R.



ASSERTIONES JURIDICÆ,

De

INJURIIS, ET ACTIONI-

BVS INDE PROMANAN-

TIBUS.

THESIS. I.



Icturo mihi de injuriis, primùm vocabuli hujus diver-
sissimæ significationes, quas illud in jure nostro sortiri
legimus, discutiendæ videntur.

II.

Injuriam itaque vocabulum, quia ex eo dicitur quod non jure
fit, l. 1. ff. de injur. variè accipitur, vel generaliter, & omne id quod
non jure factum denotat: Et sic velut genus, comprehendit furtum,
rapinam, damnum, homicidium, & quicquid tandem non jure fit.
Vel specialius (ut hoc loco sumimus) pro contumeliâ, à contem-
nendo sic dictâ, *Schmach*. d. l. 1. princ. *Inst. eod.* interdum, ut in le-
ge Aquiliâ pro damno dato, culpâ sive dolo l. 5. §. 1. ff. ad l. Aquil.
Interdum, ut in judiciis, pro iniquitate seu injustitiâ l. 13. §. 5. ff. h. t.
l. 1. ff. de appell. & Rel. l. 46. §. 4. ff. de procurat. Nam cum judex i-
niquè seu injustè dixit sententiam, litigatorem injuriam accepisse
dicimus l. 51. pr. ff. de evict.

III.

Injuria ergò, ut hîc sumitur, propriè fit, quando quis dolo
malo, & contumeliæ causâ alterius corpus, dignitatem vel famam
lædit; & fit secundum Labeonem, non tantum re ipsâ & factis,
corpori vel bonis alicujus, illatis, verum etiam verbis d. l. 1. §. 1. ff.
h. t. §. 1. *Inst. eod.*

IV.

Re ipsâ fieri injuriam, cum nimirum quis se pulsatum, ver-
beratum, vel domum suam vi introitam dicit, videre est ex d. l. 1. §. 1.



Et nihil refert, siue sit propria domus, siue conducta, *l. lex Cornelia*
§. §. domum. 2. ff. h. t. Siue pulsatus seu verberatus, siue non, si modò
manus aduersus eum sint evatae, & sæpè territus quasi vapulaturus.
l. 15. §. 1. h. t.

V.

Re porro injuria fieri dicitur, ut, cum quis comitem alicuius
abduxerit, siue masculum, siue foeminam *l. 1. §. 2. l. 15. §. 15. 16. ff. h. t.* Et
hoc spectat non solum ad eum, qui abduxit comitem per vim, sed
& qui persuasionibus perfecit, ut comes cum aliquo non esset. *d. l.*
15. §. 18. h. t. fac. l. 5. §. 2. ff. ne quis eum qui in jus voc. l. 14. ff. ad l. Corn.
de sicar.

VI.

Præter has enumeratas injuriæ realis species, aliæ quam pluri-
mæ restant.

VII.

Committitur enim & arretando, puta si quis personam vel
bona alicuius nullo jure detineat, vel arretet. *fac. l. 31. ff. de reb. auct.*
jud. possid. l. 15. §. 31. ff. h. t. Gail. de arret. c. ult. Committitur etiam
si quis quendam iniquè, nulloquè jure impediatur, quo minus in suo
aut publico, ire, agere, piscari, aut aucupari possit *l. injuriarum. 13.*
§. final. ff. h. t.

VIII.

Committitur denique, si quis hominem liberum pro servo fu-
gitivo capiat, vel stuprum in ancillam alicuius committat, vel in in-
feriorè vicinum aliquid proiciat, vel ad superiorè vicinum fumum
immittat, injuriæ faciendæ causa. *l. si liber. 22. l. si stuprum. 25. l. si*
inferiorum. 44. cum sim. ff. h. t.

IX.

Ultimò huic injuriæ adiungi potest, si quis fideiussores idone-
os reprobet, vel fideiussores in iniuriam debitoris interpellet. *l. 1. §. 1.*
ff. qui satisd. cog. l. si creditor. 19. ff. h. t.

X.

Hæc de reali: sequitur nunc verbalis, quæ fieri dicitur cum a-
licui convicium fit *d. l. 1. §. 2. h.* veluti si quis latre, hæreticus, judæ-
us, spurius &c. nominetur. *l. si non convicii. 5. C. de injur.* Huc
quoque

77' 8
71.
quoque referendum, si quis alteri mala, ac diras imprecetur; veluti ut furem suspendatur, rotam imponatur, igni consumatur. Hæc enim sunt contra bonos mores, & ad infamiam, vel etiam invidiam alicuius proferuntur, *arg. l. 15. §. 5. ff. h. t. fac. l. 38. ff. eod.* Ad hæc verò ut & ad omnem iniuriæ illationem, præcipuè requiritur animus iniuriandi. *l. 3. §. 1. & 3. cum l. seq. ff. h. t. l. sed etsi. §. 5. ult. ff. ad l. Aquiliam.*

XI.

Sic quoque iniuria verbalis fieri traditur, licet quod obiicitur verum sit, & per se non criminofum; Vt si quis appelletur claudus, surdus, mendicus, gibbosus, si modo quod dicitur, in contumeliam dicitur, ut vel eius fama gravetur, vel reddatur contemptibilior, quò *fac. l. 2. §. quid enim non tam durum. C. quando & quibus quarta pars.* Quin & si verum crimen per convicium obiectum sit, veritas criminis ab actione iniuriarum, non semper excusat. Neque enim sufficit convitii veritas, sed necesse est aliâ ex causâ obiici, quam contumeliæ gratiâ. *l. 3. C. de offic. rect. prov. l. 5. C. h. t.*

XII.

Non aliter ut verbis ore prolatis, sic & scriptis iniuriam verbalem committimus: nam si quis libellum, carmen, cantilenam, aut historiam, ad alicuius infamiam scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quò quid eorum fieret, iniuriam committit. *l. 5. §. 9. l. 15. §. 27. ff. h. t. l. 21. ff. de testibus. l. un. C. de famos. libell.* Et non distinguitur, sive suo sive alterius nomine scripserit, seu ediderit *d. l. 5. §. 9.* Sive nomen infamati expresserit, sive non, *l. quod. SC. 6. ff. h. t.* Non secus & is qui talia emenda vendendave curaverit, *d. l. 5. §. 10.* quiquè repererit, legerit, & non statim corruerit, sed dolosè manifestaverit. *d. l. unica. C. de fam. libell.*

XIII.

Dividitur iterum iniuria, in levem, per *l. 7. §. 2. ff. h. t.* & atrocem (quam contumeliosiore & maiorem accipimus) *d. l. 7. §. 2. 6. 7. 8. l. 9. ff. eod.* Et quinque potissimùm modis iniuria atrox circumstantialiter æstimatur.

A 3

Primo

XIV.

Primò enim persona quæ facit, ut quando filius vel libertus patri vel patrono injuriã infert, quæ ab extraneo illata, diceretur levis, *l. sed si unius 17. §. quadam injuria. 3. ff. h. t.* Secundò, ex personã quæ patitur injuriam. Nam injuria levis, facta à plebeio, atrox æstimatur, si est illata homini in dignitate constituto. *l. atrocem 4. C. eod.* Tertio ex loco, & quidem dupliciter. 1. Ratione loci in quo fit: utputa in conspectu judicis, foro vel templo. 2. Ratione loci in corpore personæ injuriã affectæ. v. g. si quis pulsatus leviter in facie, quæ injuria diceretur levis facta in dorso. Quartò, respectu temporis. Veluti si fiat tempore convivii, vel ludorum. *l. prætor 7. §. atrocem. 8. ff. h. t.* Quintò, ex facto, puta, si quis quendam verberare aut fustibus cædat. *d. l. prætor. 7. §. 8. l. 8. l. 9. ff. eod. l. aut facta 16. §. qualitas ff. de pœnis. §. 9. Inst. h. t.*

XV.

Possunt autem facere injuriam omnes, qui & pati possunt. Hoc vero in aliquibus fallit: nam furiosi & impuberes, licet patiantur injuriam, ipsi tamen, quoniam affectu injuriæ faciendæ carent, *d. l. 3. à quo toto hæc res pendet & æstimatur, l. qui injurie 53. ff. de furtis. l. si non convicii. C. eod.* propriè injuriam facere non possunt.

XVI.

An & dormiens, si quendam percusserit, aut alio aliquo modo læserit, injuriam fecisse dici possit? *N. l. 3. §. 1. 2. ff. h. t.*

XVII.

Ex hoc iterum possit quæri, an hoc quod de dormiente dictum, etiam de ebrio, à quo dolus abesse potest, *l. omne per vinum ff. de re milit. l. unica. C. Si quis imperatori maledix. dici possit? N. l. respiciendum. §. penult. ff. de pœnit. l. si servus. 27. §. si fornicarius & §. si ex plaustro ff. ad l. Aquiliam.* illis tamen casibus, quibus dolum ex circumstantiis abesse constat, non veram injuriam, sed quasi delictum potius commisisse videtur. *fac. dd. ll.*

XVIII.

Non solùm autem is injuriam fecisse dicitur, qui re ipsã fecit, verum etiam qui persuasit, jussit, mandavit, vel curavit, ut injuria fieret. *l. non solum. l. 1. princ. & §. 1. ff. h. t.*

Quæ

72 8

XIX.

Quæ verò personæ facere possunt injuriam, eadem injuriam pati possunt.

XX.

Patimur autem injuriam non per nosmetipsos solùm, verùm etiam per alios *l. 1. §. 3. l. 14. §. 2. ff. h. t. l. 30. ff. de pactis. l. 2. C. eod.*

XXI.

Per nosmetipsos autem pati injuriam dicimur cùm directò injuria nobis infertur & nihil refert, sive fiat coràm præsentì sive absenti *l. item 15. §. convicium 7. ff. h. t.*

XXII.

Per alios, cùm injuria in nos per consequentiam redundat: spectat enim ad nos injuria, quæ iis fit, qui vel potestati nostræ vel affectui subiecti sunt, *l. 1. & 2. ff. de liberali caus.*

XXIII.

Et hoc sufficiat de his, qui committunt & patiuntur injuriam: sequitur nunc de actione ex hoc delicto descendente, quibus & contra quos competat.

XXIV.

Hæc actio non datur solùm ipsi passo injuriam, sed & aliis, qui per ejus latus injuriam patiuntur. 1. Parentibus qui per liberos injuriam passi sunt; ut etiam si volenti filio injuria facta sit, patri suo (non etiam filii) nomine hæc actio competat. *l. 1. §. usque adeo §. l. si quis servum. 26. ff. h. t.* Hæc vero procedunt, quando filius adhuc est in patriâ potestate; Aliter si est emancipatus, nam pater pro injuriâ filio emancipato illatâ, agere non potest *l. sed unius. §. filiof. ff. h. t.* 2. Marito propter illatam injuriam uxori, non autem è contra, nam uxores à viris, non viri ab uxoribus defendendi sunt, *§. patitur. Inst. hoc titulo.*

XXV.

Interdum etiam ex unâ injuriâ, quæ nimirùm infertur uxori, tres competunt actiones. 1. patri uxoris. 2. Marito. 3. Socero, si maritus adhuc est in potestate; nec unius actio per aliam consumitur. *l. 1. §. f. ff. h. t.*

XXVI.

Hæc iterum actio, si injuria cadaveri, ossibus & epitaphio defuncti

functi facta est, vel si quis famam defuncti minuere conetur, datur
heredibus. *l. assa. §. pr. ff. de religios. & sumpt. fun. d. l. i. §. quoties.*

XXVII.

Datur ultimo, si servis potestati nostræ subiectis iniuria fit;
tunc verò demum, cum iniuria est atrox, vel apertè in contumeliam
domini directa. *l. 15. §. 35. ff. h. t.* Si verò levis aliqua est iniuria, ut
si convicium ei sit factum, aut pugno percussus, nulla est actio, sive
dominum respicias, sive servum. *§. 3. Inst. h.* Et si communis servus
afficitur injuriâ, uterque dominus agit, non vero pro eâ parte, quâ
quisque dominus est, injuriæ æstimatio fit, sed ex dominorum per-
sonâ. *§. si communi. Inst. h. t.*

XXVIII.

An quoque, si libero homini mercede nobis servienti, v. g. fa-
mulo seu mercenario, fit iniuria, actio nobis competat? Quod, cum
illis contemplatione, domini infertur iniuria, dum exequuntur of-
ficium, & gerunt negotia domini, affirmo per *l. 15. §. comitem. 16.*
& *48. ff. h. t. §. 6. Inst. eod.*

XXIX.

Jure Saxonico ita servatur, ut injuriam famulo iuferens, tã do-
mino quam famulo emendam præstare teneatur, nisi juramento
confirmet, quod in contumeliam domini non fecerit: tunc enim soli
famulo tenetur. *Sandts. art. 34. lib. 2.*

XXX.

Datur porrò hæc actio, non solum contra eum qui fecit, sed &
contra eum, qui dolosè fieri curavit, qui conduxit aliquem ad hoc,
quive mandavit ut fieret. *§. non solum. Inst. h. t. l. non solum princ. & §. si
mandato, cum seq. ff. eod.* Et quidem adversus singulos in solidum, tot
enim sunt injuriæ, quot sunt personæ, *l. si plures 34. ff. h. t.*

XXXI.

An & servus, cum aliàs iussum sui domini exequi debet, si iu-
bente illo injuriam fecerit, teneatur? *Aff. l. sed unius. §. si iussu. d. l.
si plures. ff. h. t. l. familia. ff. de jurid.*

XXXII.

Contra impuberes verò infantie proximos, ut & furiosos, non
datur,

3
75 8
datur, nam hinc requiritur dolus, qui his inesse non facile præsumitur.

XXXIII.

Contra ebrium dari interdum certum est; cum præsertim dolus ipsius ex circumstantiis in hoc delicto apparet.

XXXIV.

Cessante verò dolo, à quo etiam fatua causa excusare solet, l. 25. §. 6. de hered. pet. l. 12. §. 2. ff. de liberal. caus. l. 1. in f. ff. de abigeis. l. 7. ff. ad l. Corn. de sic. l. 15. §. 5. ad l. Corn. de fals. §. 1. Inst. vi bon. rapr. si discussa crapula pœnitentia secuta sit, non tã ordinariã injuriarum (quæ semper dolum requirit) quam in factum actione conveniendum, eiquè pœnam mitiorem, pro ratione circumstantiarum, arbitrio judicis infligendam esse, puto. fac. l. 3. §. 1. l. 26. ff. h. l. 34. pr. de Obl. & Act. cum l. 11. ff. de pœn. l. 6. §. 7. de re milit. c. à crapula X. de vitã & honest. cleric.

XXXV.

Contra heredes quoque & heredibus non datur, §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. Si verò lis à defuncto est cõtestata, vel heredes suo nomine ob injuriam cadaveri defuncti illatã, agere intendunt, datur, l. 1. §. 4. 6. l. injuriarum. 13. pr. l. 27. ff. h. t. De injuriã autem vivo defuncto illatã, heredes nec civiliter nec criminaliter agere posse, puto. fac. dd. ll.

XXXVI.

His, quibus & contra quos actio injuriarum competit, paululum perspectis, dicendum nunc erit, quã pœnã condemnatus afficiendus sit; ac quando & quomodo hæ actiones tollantur.

XXXVII.

Injuriam passus duplicem habet actionem, aut civilem aut criminalem, § in summa Inst. h. t. quarum eam quam vult, eligit. Unã autem intentatã ad alteram non admittitur; nam in delicto injuriarum, civilis actio excludit criminalem, & è converso; cum utraque actio ad vindictam detur. l. quod SC. l. prætor edixit. ff. h. t.

XXXVIII.

An omninò & semper obtineat, quod actor actione injuriarum criminaliter intentatã, non possit civiliter agere? N. l. item apud

B

siquis

§. si quis seruo. l. sed si unius. §. servus. 2. in fin. ff. h. t. l. dominum. 8.
C. eod. l. qui servum. 34. ff. de obl. & act. Mysf. C. 1. obs. 25.

XXXIX.

Si civiliter injuriatus agit, pœnam sibi certã adjudicari petit, & datur actio iu tantum, in quantum injuriam passus eam æstima-
verit, §. 7. Inst. h. t. l. 37. ff. eod. In hac actione civiliter intentatã ad-
mittitur procurator etiam mandatum generale habens, l. licet. §. ad
actionem. ff. de procur. l. sed si unius. §. procuratorem. 16. ff. h. t.

XL.

Criminalem suscipiens actionem, petit injuriantem puniri
in corpore, aut pœnam pecuniariam fisco applicari, §. 10. Inst. h. t.
l. 43. ff. h. t. Et non est opus ut in civili, certam quantitatem, quam
actor intendit consequi, exprimere: nam ea ab itrio judicis potest re-
linqui, imò etiam usque ad mortem consideratis circumstantiis, &
pensatã qualitate & atrocitate facti, extendi. l. Pedius. §. 1. ff. de in-
cend. ruin. naufrag. &c.

XLI.

Hanc actionem personæ illustres per procuratorem suscipere
& perficere possunt, §. 10. v. hoc. Inst. h. t. cum tamen aliàs in cri-
minalibus, vel ad crimen perseguendum seu defendendum regula-
riter procurator intervenire prohibeatur. l. penult. §. ult. ff. de publ.
judic.

XLII.

An hîc sententia ferenda sit in procuratorem, an in ipsum
principalem? post. Aff. l. ult. C. h. t.

XLIII.

Pœna olim condemnatorum propter illatam injuriam L. XII.
Tabb. erat, propter membrũ quidẽ ruptũ, talio §. 7. Inst. h. t. id est, si-
militudo supplicii, l. final. C. de calumn. quæ pœna legibus Mosai-
cis (ut videre est Exod. c. 21. v. 23. 24. 25.) planè congruit. Propter os
verò factum, pœnæ nummarix erant constitutæ, d. §. 7. Inst. h. t. Et si
aliam quamcunque injuriam quis inferebat, viginti quatuor solidos
solvere tenebatur, Hottom. in parat. jur. civil. de injur. De jure Saxo-
nico, & quidem tunc, si quis pulsatus vel leviter vulneratus est, vul-
gò Blutrünstig gemacht/ oder das einer mit Knütteln braun vnd blau
geschlagen triginta exiguntur solidi. art. 16. lib. 2. antef.

An,

XLIV.

An, si reus conventus non est solvendo, iudex possit pœnam pecuniariam convertere in corporalem? Aff. l. si quis injuriam. ff. hoc titulo.

XLV.

Hac postmodum mutatâ Prætor constituit, ut injuriam passus actione injuriarum civiliter intentatâ eam æstimaret, & æstimatâ iudex ex arbitrio suo taxaret, habito respectu, facti, locorum & personarum. §. atrox. 9. Inst. h. t. Si verò actor criminaliter experiatur, tunc pœna extraordinaria officio iudicis reo irrogatur, §. 10. Inst. h. t. Et plerumq; humiliores fustibus subijciuntur, cæteri exilio temporali, vel interdictione alicujus certæ rei coercentur, l. f. ff. h. t. l. prætor. 7. §. f. ff. eod.

XLVI.

Hanc denique secuta lex Cornelia, quæ eodem modo injuriam manufactâ, quo prætor, vindicat, puta cum quis se pulsatum, verberatum, aut domum suam vi introitam dicit. l. lex Cornelia. ff. h. t. §. sed & lex Inst. eod. Et actio ex hac lege descendens est civilis l. constitutionibus. 37. §. 1. ff. h. t.

XLVII.

Utrum ex lege Corneliâ injuriarum actio, sit tantum civilis, an verò & criminalis? post Aff. l. 5. & l. 37. ff. h. t. l. 12. §. ult. ff. de accus.

XLVIII.

An actio injuriarû, quæ ex lege Cornelia descendit sit perpetua. Aff. Mynsing. C. 1. obs. 84. arg. pr. Inst. de perpet. & temp. act.

XLIX.

Superfunt duo alia contra injuriâ inferentes remedia; quæ quidè magis ex usu hodierni juris, quam ex jure Justiniano, esse parata scimus. Horum unum est retorsio, alterum palinodia.

L.

Retorsione, ad similitudinem defensionis vitæ, conceditur acceptam injuriam in autorem retorquere, & hoc modo contra eam se defendere.

LI.

An injuriam tantû defendendo, an etiam ulciscendo repellere liceat?



liceat prius? Aff. l. *qua omnia*. 25. ff. *de procur.* Gail. lib. 2. obs. 100. n. 3.
& seqq. Mynsing. C. 5. obs. 17.

LII.

Palinodiâ iniurians pro integratione famæ iniuriati, publicè
profitetur, declarat & dicit; verba iniuriosa fuisse per eum incon-
sultò, mendaciter & contra veritatè dicta & prolata; Ad hoc autem
compellitur actione, quæ vocatur recantatoria, sive ad patinodiam:
& civilis est. Myns. obs. 98. c. 2.

LIII.

An actio legis Aquiliæ, cum actione iniuriarum, quæ ad pali-
nodiam vocatur, quo ad æstimationem possit cumulari? Aff. arg. l.
34. pr. ff. *de obl. & Act.* l. *si pro fure*. 7. pr. ff. *de conditt. furt.*

LIV.

Enumeratas iniuriarum actiones variis modis tolli manife-
stum est. Tolluntur verò principaliter 7. modis. 1. Lapsu unius
anni utilis, l. *item si cum*. 14. §. *in causa*. 2. ff. *quod metus caus.* l. 10. C.
h. t. non ope exceptionis, sed ipso iure. fac. l. 17. §. 6. in f. ff. h. t. junct.
l. 17. §. 1. ff. *de pact.* 2. Dissimulatione; cum scilicet iniuriam passus
cum iniuriante iterum loquitur, convivatur, dexteram porrigit, e-
umque salutatur. §. f. *Inst. h. t.* Hoc verò tunc demum procedit, quan-
dò nimirū id facit motu proprio, secus si ambo sint invitati ad con-
vivium, & positi ad unam mensam, tunc enim non intelligitur re-
misisse iniuriam, cum ex quadam honestatis necessitate hoc facit.
3. Jureiurando iniurianti delato, puta si iniurians iuret se non fecisse
iniuriam, aut fecisse sed non animo iniuriandi, sed joco, vel calo-
re iracundiæ, l. *si non convicii*. C. h. t. l. *non solum*. §. *proinde*. l. 3. §. 1.
ff. *eod.* 4. Satisfactione, ut scilicet amplius ad vindictam non pos-
sit agi, l. 17. §. 6. v. *qui enim*. 5. Tolluntur morte vel iniuriati vel
iniuriantis, ante litem contestatā, l. *si eum*. §. *qui injuriarum*. ff. *si quis*
caut. in jud. sist. 6. per pactum. l. *si tibi*. §. *quedam*. ff. *de pactis*.
7. Trāsaetione, l. *non solum*. §. 1. v. *proinde* h. t. Deniq; injuria semel re-
missa, amplius intentari non potest; actio enim extincta non
reviviscit. l. *qui res*. §. *aream*. ff. *de*
solut.

COROL.

COROLLARIA.

75. 8-

Legatus ob causam civitatis aliquò ablegatus, si fortè in itinere capitur aut derobatur, civitas damna ipsi resarcire tenetur.

An Principes, Comites, Barones, & Nobiles, qui venandi, aucupandi, seu piscandi jus coarctaverunt, aut subditis ademerunt, rectè fecerint? Aff.

AD PRAESTANTISS. ET LITERATISS. DN. RESPONENTEM, AMICUM
ET CONTUBERNALEM MEUM
honorandum.

N Amq̄, quòd aethereà vivendo vescimur aurà,
Non sumus hoc homines verè, dicìve meremur,
Quando id cum brutis etiam commune tenemus.
Sed vigili studio, ac ingenti acquirere curà
Thesuros Themidos justæ, doctæq̄, Minervæ
(Sic sacratarum veneranda scientia legum,
Iustitiæ interpres, Custos æquiq̄, boniq̄,
Civilis Sopiæ rectè pars maxima fertur.)
Officium prudentis erit. Verùm nimis arcto
Constantiq̄, opus est, indefessog, labore.
Sic Hubnere tuo docto mihi nomine note
Dum sacratarum investigas abdita legum,
In te civilis prudentia splendida juris,
Ac agnata salus, ac lex fac clara coruscet.

ἄλοφύχως
M. ANDREAS LEÜCARTUS
Augustanus.

Noxia qui secum volvit,volvendo repellit
 Crimina, pellendo pejus & angve fugit.
 Hic se virtutis flammis, quæ rupis ad instar
 Invariata manet, sollicitare probat:
 Sic prestans HVBERE facis, prædulcis Amice
 Aonidum in castris fortia facta movens.
 Quomodo nunc Injurie atrocis destruis arcem
 Dando mala Divæ crimina mille dices.
 Et certas promendo hoc in certamine causas
 Sacra, representas, quid sibi iura velint.
 Utile, me Deus! hocce tuum certamen inisti,
 Namq; Tibi inde venit gloria, laus, & honos
 Ergo trophæa ferens, te semper amore foventi
 Cum genetrice Patri, gaudia mille dabis.
 Gaudia mille dabis patriisq; Penatibus, ac his
 Quos tibi virtutis nomine junxit amor.
 Gratulor ecce tuis cæptis, & prospera quæque
 Ut cedant, iterum gratulor ecce Tibi!
 Perge age sic iuris cæptam pertexere telam
 Tunc Patriæ fies gloria prima tua!

CHRISTOPHORUS PREUER CREI-
bitzianus.

III.

Remigio alarum tendit super æthera virtus
 Ardua in abjecto nescia stare loco.
 Virtutem simulat sonipes, Natura fatigat
 Quem bona, qui stabulo non remoratur iners.
 Dente ferit præsepe, domumque hinnitibus implet,
 Fræna virumque cupit, qui sibi terga premat.

Sic

3
76. 8—
*Sic virtus stimulat, quæ vili sede morari
Non valet, ast ingens nomen & astra petit.
Sic est. Sic stimulos tibi virtus alma dedisse
Experior, quæ quit non magis esse silens.
Sed prodit, stimulatque animum, qui extendere factis
Expetit egregis nomen, hiatque decus.
Te decoret Themis alma, tibi que hæc premia subdat,
Vt fias patrii magna corona laris.*

Lib. scrib.

GODOFREDDUS MACHFREDUS LYGIO-
Silesius.

FINIS.

Sic virtus stimulat, que vili sehemorari
Non valet, est ingenis nomen & affra petit.
Sic est. Sic stimulos tibi virtus una debet
Experire, que dicit non magis esse plens.
sed prohit, stimulatque animam, qui extendere factis
Expetit eoque non tenent, hinc de hinc
Te decoret Themas alia, trique hoc primum fiddat.
Ut hoc patris magna corona lauræ

Lip. scrip.


GODFRIDUS MACHREIDUS LYCIO.
Silesia.

FINIS.



TRA SSBurg, Diss., A627-23

ULB Halle 3
004 527 275




56

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ONES

S, ET
BUS IN-

A.

NDI *Flach*
IMA ARGENTO-
PROFESSORIS OR-
Decani spectabilis,
ni aeternum

CREIBITZIA

TI,
LEDERTZ,
KVIL.

69.

16 27 4.

LXX

3

